

rie mense Augusti fiat talis recollectio tribus annis et releventur casalena  
predicte strate que dederunt roynam pro suxdio in predicta strata hominum  
volentium commorari. Et liceat guardianis posse ibi ponere arma supra si-  
gna Societatis Salvatoris Lateranensis.

Item quod auctoritate presentium capitulorum sit et esse debeat sublata  
omnis et quecumque potestas et balya attributa et concessa Laurentio Fac-  
ciante seu cuicunque alteri persone nempe et supra administrationem cum  
exercitio reparatione. subgubernatione. supredictie vie majoris et habitantium  
in eadem solum ex nuno mandato guardianorum supradicte Societatis qui  
nunc sunt et per tempora erunt qui sint et esse debeant rectores et Guber-  
natores et administratores vie prediecte et habitantium in ea. Itaque ipsi soli  
guardiani per se ipsos vel alios sive alium quibuscumque vel cui commi-  
serint et delegaverint in predictis et circa predicta ac dependentibus et con-  
nexis ab eis habeant auctoritatem presentium capitulorum regendi manu-  
tendi gubernandi administrandi et reparandi viam predictam et habitatores  
iu eadem plenaria et omnimoda potestate.

Item quod Guardianis qui nunc sunt et per tempora erunt liceat et li-  
citur sit concedere arma deferenda habitatoribus predictis vel alicui eorum  
quando et quomodolibet ipsis guardianis videbitur sine aliqua pena civili et  
per illum modum et formam quibus ipsis guardianis videbitur.

Johannes Pauli Andree  
Prothonotarius Curie Capitolii

Sabas Nyci  
Notarius Societatis

Petrus Sabe Juliani notarius dictorum Dominorum.

## DOCUMENTO VI.

### *Senatus Romani Diploma supradicta capitula declarans.*

Stephanus Cecchi Tasche, Cola Ceci Trinche, et Lucas Nannoli de Buc-  
cabellis, Conservatores Camere, Sacri Senatus officium exercentes. Joannes  
Andree Nucti Petri Gualterii Regionis montium, Petrus Retroso Regionis Tri-  
vii, Cola Maguti Regionis columne, Antonius Rosaolini Regionis Campimartis,  
Jacobus Parlantis Regionis Pontis, Matthutius de uattro Regionis Pario-  
nis, Silvester Antonii Paloni Regionis Arenule, Johannes Paulus della Tor-  
re Regionis Sanctieustachii, Processus Joannis Betralle Regionis Pinee, Pe-  
trus Baffo Regionis Campitelli, Stephanellus Nucti Toczoli Regionis S. An-  
geli, Johannes Paulus Venete Regionis Ripe, et Petrus Cecchi della Gio-  
gia Regionis Transtiberim, Tresdecim capita Regionum alme Urbis. Ad  
perpetuam rei memoriam. Honestis supplicium votis, et illis presertim que  
alme Urbis conservationem et manutentionem respiciunt, libenter annui-  
mus, et quantum cum Deo possumus, ipsa proseguimur favoribus oppor-

tunis. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte nobilium virorum, Guar-  
dianorum, et Sindicorum, aliorumque officialium, et totius universita-  
tis venerabilis societatis Recommendatorum Imaginis gloriose Salvatoris no-  
stri ad Sancta Sanctorum de Urbe, series petitionis ostendit, quod olim  
videlicet sub anno a nativitate Domini 1386, Pontificatus Domini Urbani  
PP. VI, Indictione X, mense decembri, die 20, Officiales dicte Urbis  
tunc ad ejus regimen deputati, et ad hec tunc temporis, plenam potesta-  
tem habentes, considerantes quod quedam contrada, sita in Regione Monti-  
um, ea videlicet via, qua pergit ad Sacro Sanctam Lateranensem Eccle-  
siam, via major vulgariter nuncupata, adeo propter mortalitates, et alias  
conditiones pessimas que tunc temporis illam multipliciter afflixerunt, fuerat  
habitatoribus derelicta, adeoque defecerat, ut non via, sed solitarius locus  
et quasi desertus, imo latronum spelunca poterat potius appellari, propter  
multa inhonesta que committebantur ibidem, ad reformationem dicte vie,  
certa capitula et statuta et ordinationes quasi infrascripta omnia continen-  
tia in effectu, cum aliis quampluribus capitulis, inter alia, que propter su-  
perfluitatem non curantur repetere de presenti, tam ad guardianorum et alio-  
rum officialium dicte societatis, quam infinitorum aliorum civium Romano-  
rum, hanc pro bono publico dicte urbis, magna cum solicitudine postulan-  
tium petitionis instantiam ordinaverunt, et mandaverunt, de cetero invio-  
labiliter observari. Que ex tunc demum per tempora, usque in hodiernum  
diem, a Senatoribus, aliquique officialibus dicte urbis, et aliis omnibus ad  
quos pertinuit, non tantum tolerata, sed etiam approbata, et confirmata, ac  
in omnibus observata, pacifice extiterunt, prout hodie adhuc pacifice obser-  
vantur, propter quod dicta via magnum incrementum accepit, in quo nunc  
altissimi gratia perseveratur: Verum quia sicut eorum petitio subjungebat,  
prefata capitula, statuta, et ordinationes, ad effectum magis congruum, et  
clariorum intellectum, formamque meliorem reducere, ac illa corrigerre, emen-  
dere, et reformare, ac aliter super inde providere, prout nobis melius vi-  
deretur, ex potestate nostri officij, dignaremur. Nos itaque, visis capitulis,  
statutis, et ordinationibus, supradictis, et confirmationibus eorumdem, et  
habita informatione veridica, quod ipsa capitula, statuta, et ordinationes, a  
dicto tempore ordinationis eorum, citra, fuerunt et sunt usque in hodiernum  
diem pacifice observata, et usum habita prout hodie observantur etiam, et  
habentur; ac percepto quod ea ordinatione, et observatione predictorum, di-  
cta via, factis statutis, capitulis, et ordinationibus supradictis, et illis ut  
premittitur observatis, fuit et ut ad bonam conditionem reducta, in qua per-  
manet de presenti; quodque pro habitatione et manutentione dicte vie,  
magna dicte urbis commoditas cognoscitur pervenire; attendentes etiam,  
quod nihil prodest initia rei solidare, si demum valet presumptio ordinata  
destruere. Illa sunt enim robusta atque diurna, que si prudentia incitat,  
cura custodit; et ideo maior in conservandis rebus, quam in inveniendis est  
adhibenda cautela, quoniam de initiis predicatio debetur invento, de custo-  
diendis vero acquiritur laudata perfectio; eorum In hac parte petitionibus  
annuentes, prefata capitula, statuta, et ordinationes, decreto et auctoritate  
sacri senatus et nostrorum hujusmodi officiorum, pro comodo et utilitate dicte  
urbis, et ut dicta via valeat futuris temporibus conservari, et majus

suscipiat imposterum incrementum; sic tenore presentium reducimus et declaramus, corrigimus, ac denuo facimus, et ordinamus, et mandamus de cetero perpetuis futuris temporibus observari. Decernentes irritum et inane, si secus a quo quam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contingit quomodolibet attentari. Tenor siquidem capitulorum statutorum et ordinationum hujusmodi sequitur infrascriptus. In primis quod dicta via major, cum omnibus et singulis incolis et habitatoribus ejus, tam presentibus quam futuris, sint et esse perpetuo debeant et intelligentur, sub protectione, cura, et jurisdictione, Ven. Societatis recommendatorum Imaginis gloriose Salvatoris nostri ad Sancta Sanctorum de urbe, et ejus guardianorum, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint; qui jurisdictionem habeant in eosdem, ac merum et mixtum imperium et omnimodam potestatem per eos, et alios, quos ad hec deputare voluerint, inter eos, et alios quoscumque eorum quoslibet creditores, causas civiles et criminales videndi, cognoscendi, et fine debito terminandi, ac ipsos incolas et habitatores, eorum demeritis, eorum arbitrio castigandi, condemnandi, et puniendi, ac contra eos procedendi, de omnibus et singulis quibuscumque excessibus, maleficiis, et delictis cujuscumque qualitatibus extiterint, preterquam de furto, et homicidio, seu falsitate, aut prodimento, seu criminis lese majestatis, aut aliis atrocibus excessibus, vel delictis, pro quibus forent capitaliter puniendi; quorum cognitio et punitio ad curiam Senatoris pertineat, et de illis executionem realem et personalem faciendi, ac inter illos, et pro reformatione et manutentione et conservacione dictae vie statuendi, et ordinandi, prout eorum discretioni videbitur et placebit. Item quod Senator, seu quivis alias officialis dictae urbis, nullam habeat potestatem, procedendi, aut cognoscendi, vel processum aliquem faciendi, aut gravamen aliquod realiter aut personaliter inferendi, vel permittendi, contra dictos incolas et habitatores dictae vie, aut aliquem eorumdem, aliqua ratione, jure, modo, titulo, sive causa, civiliter nec criminaliter nisi tantum super excessibus et delictis superius reservatis; nec ipsi incole et habitatores possint, nec debeant, in aliqua alia curia, quam in curia dictorum Guardianorum citari, aut gravari, vel fodi, seu capi, nec modo aliquo conveniri, nec aliter realiter, aut personaliter molestari, pro aliquo debito, tam contracto quam contrahendo; aut super aliquo excessu, maleficio, aut delicto commisso, ac de cetero committendo per eos, vel aliquem eorum, nisi pro illis tantum excessibus, maleficiis, et delictis, que sunt supradicte curie capitolii specialiter reservata. Et si secus fiet id quod factum fuerit sit ipso facto ipsoque jure nullum, et nullius valoris, nec fieri possit executio aliqua super illo. Et nihilominus contra faciens, teneatur ad penam centum ducatorum auri, vice qualibet ab illo auferendorum, sui tempore syndicatus, et ad restituendum, et reintegrandorum, sui tempore syndicatus et ad restituendum et reintegrandum ac reponendum illum, seu illos, quem vel quos gravaverit, aut molestaverit, in eo statu pristino in quo erat, aut erant, ante gravamen seu molestiam supradictam, ipsius contra facientis sumptibus et expensis: Item quod omnes et singuli incole et habitatores dictae vie, qui nunc sunt et per tempora erunt, sint et esse debeant, prout esse consueverunt, a tempore dictorum factorum aliorum capitulorum, et ordinationum citra et nunc sunt, liberi, immunes, et

exempti ab omni solutione gabelle, datij, seu collecte, vectigalis, angarii, et parangarii, ac ab omnibus aliis quibuscumque oneribus, et gravaminibus dictae urbi impositis, et ponendis; nisi ab illis tantum, que eis, per guardianos dictae societatis, imponerentur. Ita quod liceat eis et eorum cuilibet, libere et sine alia solutione gabelle vel oneris alicujus, eorum artem et exercitium facere in dicta via, sine impedimento aliquo eis ratione hujusmodi inferendo. Nullus ergo audeat vel presumat eos, vel aliquem eorum, rationibus predictis, vel earum aliqua citare, gravare, fodere, capere, detinere, carcerare, nec contra eos procedere, ad mandatum, vel aliam gravaminis noxiā novitatem realem et personalem, sub eadem pena. Hoc tamen non intelligatur pro illis qui in dicta via vinum alterius quod de via predicta venderent ad minutum pro quo gabellam solvere teneantur. Item quod nullus marescallus curie capitolii, aut mandatarius, vel quivis alias officialis dictae urbis, ipse vel alius seu alias ejus nomine vel mandato, audeat vel presumat etiam mandato vel comissione domini Senatoris, vel alicujus judicis dictae curie, aut cujusvis alterius dictae urbis officialis, aut sive in dicta via vel in alio quocumque loco, ratione aliquoscumque (sic) debiti tam contracti, quam contrahendi, seu excessus maleficii, vel delicti aut a gabella vel alterius cujuscumque causa, vel occasione, etiam si de illis forent condemnati, apodissati, diffidati, vel exbanditi, aliquem ex incolis et habitatoribus dictae vie citare, fodere, capere, carcerare, detinere, nec contra eos vel (deest eorum) aliquem ad aliquam realem vel personalem executionem aut noxiā novitatem procedere; preterquam occasione delictorum que sunt superius reservata, nisi de licentia et mandato Guardianorum prefatorum, vel eorum officialium, qui nunc sunt et per tempora erunt; ad dictam penam. Quod si forte fecerint Senator et Conservatores dictae camere dictae urbis, qui tunc erunt, statim cum hec fuerint pro parte Guardianorum aut officialium predictorum simpliciter nunciata, prefata corrigi faciant, et illum vel illos qui gravatus, aut, fossus, seu captus, aut incarceratus vel detenus fuerit, aut fuerint, vel aliter molestati; teneantur et deboant a fosse gravaminibus, capture, incarceratione, et detemptione predictis, et omni alia molestia et noxia liberare, cum restitutione cujuscumque quantitatis pecunie, aut rei sibi dicta occasione recepte, et sine aliqua solutione pecunie, per eum dicta occasione fienda. Et nihilominus illum seu illos, qui cum predictis deliquerit computare et punire ad eamdem penam. Item quod nulla persona cujuscumque gradus, ordinis, qualitatis, aut conditionis existat, de quovis alio loco quam de dicta via, audeat vel presumat aliquam rissam vel questionem facere in dicta via, cum aliquo ex incolis et habitatoribus supradictis, nec eis vel eorum alteri, aliquam realem vel personalem injuriam inferre, sub pena quadrupli, ejus quod solvere teneretur ex forma statutorum urbis, si alibi rissas aut questionem faceret, aut injuriam inferret.

Itemque si aliquis de quavis contrada vel loco, quam de dicta via, fecerit aut intulerit aut facere vel inferre quodlibet conaretur, alicui ex habitatoribus et incolis dictae vie in via predicta, vel aliqua ejus parte, liceat et licitum sit dictis incolis et habitatoribus, ac aliis quibuscumque extra-neis, accipere arma, lapides, et bastones, contra offensam vel injuriam hu-

jusmodi facientes, aut inferre conantes, et eis resistere, ac illos offendere cum sanguine et sine, usque ad mortem exclusive, sine aliqua pena propterea alicui persolvenda. Item quod si quis de alio quovis loco, quam de dicta via, in ea vel aliqua ejus parte, noctis tempore fecerit vel intulerit, aut facere vel inferre presumpserit tam contra dictos incolas et habitatores, quam contra quoscumque alios extraneos, aliquam realem vel personalem injuriam, vel offensam, cuilibet liceat talem offensorem vel injuriatorem, aut injurie vel offense hujusmodi presumptorem, percutere, et offendere, cum sanguine et sine, usque ad mortem exclusive; ipsumque capere et vinctum ducere ad Capitolium et domino Senatori presentare, suis demeritis puniendum libere sine pena. Et quando eis videbitur, possint campanas Ecclesiarum dicte vie pulsare ad arma in dicto casu, etiam sine pena. Item quod tempore exercitus vel cavalcate, aut alterius eiusvis accessus, contra aliquem indicendi, vel fiendi per Romanum populum, nullus audeat vel presumat, alicui ex incolis et habitatoribus supradictis, auferre vel auferri facere aliquod eorum animal, pro conducendo ad exercitum, cavalcatam, vel accessum predictum; ad penam viginti ducatorum auri. Et si secus fieri contingenter, dominus Senator et conservatores camere dicte urbis, teneantur et debeantur (sic) sibi dictum animal facere, statim cum eis fuerit super inde exposita querela, restitu cum effectu, et talem auferentem dicta pena punire; ad eamdem penam. Item quod domini seu patroni domorum existentium in dicta via, teneantur et debeant dictas eorum domos adabitandum concedere, omnibus illas postulantibus, qui ibidem habitare voluerint, pro ea pensione que per Guardianos hujusmodi declarabitur: ad penam decem ducatorum pro qualibet. Item quod interim dum dicte domus vacarent, nullus audeat vel presumat in aliqua dictarum domorum remictere, seu tenere vites, cannas, seu paleas, vel aliqua alia stramina, seu ligna, unde possit interdum periculum imminere; ad dictam penam. Item quod si dicti guardiani, vel alii quicunque, vellent aliquam domorum hujusmodi dirutam, aut disruptam, suis seu dictae societatis sumptibus relevare, aut recuperare, facta requisitione domini, aut patroni domus ejusdem, si eam relevare aut recuperare voluerit, et ipse dominus et patronus illam relevare et recuperare recusaverit, aut noluerit, in terminum ei per guardianos hujusmodi statuendum; possint et valeant dictam domum relevare, aut recuperare, pro eorum libito voluntatis. Et tunc dicta domus efficiatur illius qui eam relevaverit aut recuperuerit, ut prefertur, ad faciendum et pro sue libito voluntatis. Teneatur tamen domino proprietario respondere pro censu annuatim perpetuo 12 denarios pro pensione. Et tunc nullus audeat dictae revelationi, aut cupertere contradicere, vel eam impeditre: ad eandem penam. Item quod nullus audeat vel presumat, nec sibi licitum sit, aliquam domorum hujusmodi, vel aliquem colupnatum, seu parietem, destruere, et discoperire, nec conducere ad ruinam, nec inde columnas vel lapides removere, sine expressa licentia dictorum guardianorum, qui propterea fuerint ad eamdem penam. Nec aliquis aliis officialis dictae urbis possit nec debat, alicui dare licentiam contrarium faciendi. Et si data fuerit nec valeat ipso jure, sed dans licentiam hujusmodi, penam 25 ducatorum auri incurrat vice qualibet, qua contrafecerit in predictis. Item quod de omnibus di-

ctis penis medietas ad cameram alme urbis, et alia medietas ad dictam societatem, in et pro augumento dicte vie convertenda, debeat pertinere. Item quod dicta via, intelligatur et intelligi debeat, cum tota platea lateranensi; et ab arcu sito retro capellam, seu basilicam ad Sancta Sanctorum de urbe usque ad Coliseum inclusive. Item quod dicta capitula statuta et ordinaciones non egeant de cetero, aliqua alia confirmatione officii Senatoris, vel alterius officii dicte urbis. Sed illa debeat per Senatorem et Conservatores ac alios magistratus quoslibet dicte urbis, qui per tempora fuerint, et eos et singulos ad quos pertinent, cum effectu, et sine interpretatione aliqua, prout jacent, inviolabiliter observari. Si quis autem contrafecerit, penas supradictas incurret ab eo inremisibiliter sufferendas. In quorum omnium testimonium aut fidem, presentes nostras litteras, super inde per Nicolaum Signorilem secretarium nostrum, et litterarum Romani populi dictatorem, ad perpetuam rei memoriam fieri et sigillorum nostrorum, justissimus appensione muniri. Dat. Rome in Capitolio die 6 mensis Decembris XII indictione anno Domini 1418. Pontificatus Sanctissimi Domini N. D. Martini divina providentia Pape V anno 2.

Petrus Juliani  
Protonotarius.

Laurentius Nicolai Sabbe  
Notarius Conservatorum.

Nicolaus Signorilis.

✠ Signorum loci ✠

## DOCUMENTO VII.

*Venditio Palatii facta a nob. viro D. Joanne Jacobi de Novellis  
in favorem Societatis et hospitalium praedictor.*

In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo octavo Pontificatus Domini Clementis PP. VI Indictione I. die 3 mensis Augusti. In presentia mei Notarii Testiumque infra scriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogator. Nobilis vir Joannes dñi Jacobi Novelli de Regione Montium, et contrata Seburre pro se ipso et nomine et vice dñi Jacobi germani fratris sui pro quo se de rato principaliter obligavit et promisit se facturum et curaturum quod d. Jacobus hanc venditionem cum omnibus suis tenoribus et articulis perpetuo ratam et firmam habebit, acceptabit et approbat sub obligatione bonorum suorum pro medietate infra scriptorum accusamentorum et D. Paulus filius quondam D. Pandolfi Novelli de d. regione et contrata pro se et nomine, et vice DD. Laurentii et Petri fratrum suorum de nomine et vice DD. Joan-